

horrenda peccaminum? Quia captus est in peccatis vestris dux itineris vestri, venerabilis frater noster, archiepiscopus Ravennas¹, quem sicut virum fortem, angelum consilii, opere ac sermone potentem, magnum ecclesie membrum et filium predilectum ad proteccionis vestre presidia destinatum manus incidisse nefarias² condolemus, affligimur, et in tantorum vastitate malorum veremur occulta dedecoris³ apud tribunal Altissimi scelus accusare peccantium, cum erepta de faucibus impii recens et in paucis adhuc cruenta reliquiis suis civitas Paduana⁴ sic repente habuerit maledictionis heredem et exterminii successorem, civitatem videlicet Brixiensem⁵, que solita magnis obstare principibus viduata stola glorie libertatis iugum subiit mortifere servitutis⁶.

Exurgat itaque Deus et dissipet inimicum!⁷ Expergiscimini, viri potentes fortes et strennui, et ab ardente pariete proximo⁸ cautelam feliciter adhibete! Accingimini potencia, roboramini spiritu fortitudinis et vigoris, opponite vos murum pro domo Israel⁹ et turrem fortitudinis a facie persequentis¹⁰! Consolamini pie matris lacrimas, non errantes ab utero¹¹ sicut filii alieni! Excitate ad Omnipotentem cum reverencia cordium vestrorum motus! Rogate et agite que ad pacem sunt¹², ut applicetur gladius¹³ et conteratur brachium¹⁴ adversantis!

Homo quidem ille duriciarum, attrite frontis et indomiti cordis, de matris misericordis manu porrecta medele fomenta non sumens, cum ad gremium suum errantem ovem quereret et filium perditum revocaret, sed medicinam reiciens pariter et medentem, infremit percussus gladio Spiritus, qui est verbum Dei, et datum clementer antidotum inter viscera obturantis aures vertitur in venenum. Excommunicationis namque sententiam¹⁵, que mortem¹⁶ non infert, sed¹⁷ medelam apponit, per tempora multa contempnens, claves ecclesie obstinata mente despexit et contra se densum lutum exaggerans¹⁸, traditus est sathane, anathe-

1) Philipp von Ravenna, Legat in der Lombardei, Romagnola und Mark Treviso, bevollmächtigt am 20. Dec. 1255. 2) Am 30. Aug. 1258 gerieth er in die Gefangenschaft Ezzelins, vgl. B-F-W. 14060 a. 3) Vgl. 2. Cor. 4, 2. 4) Padua war Ezzelin am 20. Juni 1256 durch Philipp von Ravenna entrissen. 5) 'Arixien.' Hs. 6) Brescia hatte sich an Ezzelin und Pellavicini unmittelbar nach deren Siege vom 30. Aug. 1258 ergeben. 7) Vgl. Psalm 67, 2. 8) Vgl. Hor. Ep. I, 18, 84. 9) Vgl. Ezech. 13, 5. 10) Vgl. Psalm 60, 4. 11) Vgl. Psalm 57, 4. 12) Psalm 121, 6. 13) Vgl. Iob 40, 14. 14) Vgl. Psalm 10, 15. 15) Am 9. April 1254 von Innocenz IV. verkündet (Ep. sel. III, 242). 16) So verbessere ich statt 'mentem' Hs. 17) So lese ich statt 'ad' Hs. 18) Habac. 2, 6.